

Positio de tractatione iuris de monstratur.

63 Sed quidquid de hoc sit, qui iudicium in causis decimalibus ad se pertinere contendunt, rem non solum facti, sed iuris assumunt, quia sine iuris examine stare eorum prentio nequit & intentio fundari. Agitur enim contra privilegiatos, unde privilegia quoad valorem suum examinantur: quod si non fiat, procedi in causa nequit: privilegij autem Pontificij valor res spiritualis est, sicut & titulus ab eo proveniens & ius resultans: ergo si de hoc agi nequit, neque etiam iudicium laicale in causa decimali procedere. Nisi dicant posse quidem examinari quoad valorem, quia est res facti. An scilicet reipla sit aliquod validum privilegium. Iuxta quam responsionem, ut dicebam nuper, omnino elidi potest quidquid est circa hoc ab Ecclesia constitutum: immodò & circa causas alias spirituales, quæ omnino inveniuntur prohibita, ut Beneficiales quoad proprietatem, Matrimoniales, Clericales, Regulares &c. circa quod quivis potest facile discursum efformare.

Privilegium Pontificium examinari per laicos nequit. Et quæ inde absurda.

S. V.

Instauratur probatio & manifestus pro Assertionem discursus.

Ex redonatione Ecclesie facta vnde arguitur.

64 EX dictis circa secundam nuper probationem validissimum pro Assertionem argumentum instauratur. Nam si adeo certum est iudices laicos non posse decimalium causarum tractationem usurpare, etiam cum beneficiarius est laicus: quanto id erit certius, quando decima beneficio Apostolicæ Sedis acceptæ Ecclesiis redonatur? Tunc enim pristinam omnino conditionem assumunt. Quod bene vidit Dom. Solorzanus, contrarius alias, dicens hanc esse communioem & securiorem opinionem, ut videri potest Cap. 12. num. 63. & in Politicâ pag. 600. s. Pero sin embargo, & seqq. quam & secuti grauisissimi Consilij in Regio Indiarum Senatu, alique, & Rex noster Philippus Quartus amplectus, cum ageretur de decimis vacantium Ecclesiarum, an scilicet de illis posset integrè disponere: quod quidem requirit, referuatâ tantum tertiâ parte in usus piissimos expendendâ: pro quo idem num. 81. Quod si de iustificatione illius tertiæ partis subdubites, ad beneplacitum potest Apostolicæ Sedis referri, cum quæ de erectionibus Ecclesiarum actum, ad quas suo modo etiam spectant distributiones fructuum vacantiarum: cum præsertim in eos expendantur usus, ad quos Præbules obligantur. Et antiquam circa dispositionem vacantiarum consuetudinem à Regibus Catholicis, primis ab erectis Ecclesiis obseruatam, testatur Rex noster in Rescripto quodam Ann. 1631. de quo Dom. Solorzanus supra num. 31.

Inde Regis nostri pissima resolutio.

Tertiam vacantiarum partem vnde licet distribuere videtur.

Ratio ensi- aens pro incompetentia iudicium laicorum.

Concessio decimarum, & iurica.

65 Ratio autem generalis, ut non possint iudices laici causarum decimalium cognitionem assumere, & quidem non solum verosimilis, sed omnino evidens & manifesta ea est, Nam Pontifex concedens decimas, non ideo concedit causarum ad eandem spectantium decisionem: ergo cum concessa non sit, temerè contra eius voluntatem usurpatur, Antecedens constat: nam concessio decimarum, & facultas circa illas iudicandi,

sunt duæ distinctæ & non necessarîo connexæ facultates: ergo vnam concedens, non ideo aliam concedere comprobatur. Antecedens negari nequit: nam facultas recipiendi decimas optimè stare potest sine facultate circa illas iudicandi: unde Pontifex concedens illam, potest absolute aliam denegare. Consequentia autem est legitima: Nam à separatis non fit illatio; & non concessa in materia iurisdictionis Ecclesiasticæ, negata censentur, cum absolute sit prohibita, & in causâ præsentî magis in speciali. Ut visum supra. Pro quo est in propriis terminis notanda decisio in Cap. Tua, de decimis, in quo sic Innocentius Tertius: Cum laici nulla sit de spiritualibus concedendi vel disponendi facultas, Imperialis concessio quantumcumque generaliter fiat, neminem potest à solutione decimarum eximere, quæ diuinâ constitutione debentur. Nec occasione decimationis antiquæ (licet in feudum decimæ sint concessæ) sunt decimæ noualium usurpandæ: cum in talibus non sit extendenda licentia, sed potius restringenda. Hæc ibi. Ex quibus habemus in concessione decimarum non esse faciendam extensionem ut noualia comprehendat, quia standum est concessionis tenori, & restringenda potius, quam extendenda concessio: cum vnum stare sine alio possit. Ergo in casu nostro concessio extendenda non est ad facultatem iudicandi de causâ spirituali; cum stare concessio decimarum possit sine tali magis odiosâ concessione: facilius enim Ecclesia decimas concedet, quam huiusmodi facultatem. Vnde cum in Bullâ Cœnæ non sit excommunicatio contra raptore decimarum fulminata: contra eos tamen, qui causam illarum ad laica tribuna- lia trahunt, extat ordine 14. licet; ut num. 44. aduertimus, non videatur procedere vniuersaliter contra omnes tale iudicium usurpantes. Est tamen specialiter contra laicos, licet etiam Ecclesiasticos comprehendat, qui talem causam ab Apostolicis iudicibus ad se auocant, Apostolicarum aut alias prætextu litterarum: quatenus scilicet ij munere aliquo seculari funguntur in Curijs Principum, ut aduertit P. Suarez Tomo 5. in 3. part. Dissur. 21. num. 76.

di de illis sunt duæ inconnexæ facultates.

Cap. Tua de decimis.

Restringenda concessio circa illam.

Excommunicatio 14. Bulla Cœna quomodo contra iudicium laicos in causâ decimarum.

S. VI.

Assertiones alie.

66 Dico secundò. Circa duos Nouenos, de quibus dictum Regibus nostris competere, quos & illi sibi assignandos decernunt varijs rescriptis, ut videri potest apud Dom. Solorzanum Cap. 4. num. 15. & in Politicâ, pag. 522. Col. 1. in principio. Si de iure sit questio, idem videtur dicendum: quia eos tribuens Pontifex, nullibi quæstionem circa ius exigendi illos iudicibus laicos inuenitur tribuisse, vnde negata debet reputari, iuxta dicta num. precedenti. Quia verò questio ordinariè videtur esse non posse circa ius, sed circa factum; cum ius exigendi sine controuersâ sit ex parte eorum, qui sunt eos soluturi, fundatum; ideo probabile est, posse eorum, causam apud Regia tribunaia tractari. Videantur citati.

Assertio 2. circa duos Nouenos ut habenda cognitio.

67 Dico tertio. Licet propter auctoritatem scriptorum, qui licitam asserunt tribunalium praxim

Assertio 3. Opinionem aduersam

non sine scrupulo posse defendi, licet probabile ab extrinseco videatur.

In Bulla Cœna casus talis vtrouersimiliter comprehensus.

Verba illius.

Ex Regia resolutione firmatur.

praxim in casu nostro, sententia ista videatur probabilis; quia tamen solidis est fundamentis destituta, & contraria iure & ratione consistit, negotium valdè scrupulosum est eam in praxim deduci; & ita Regij Consilij alijque, si conscientie quieti volunt consulere, communioem & securiorem amplectantur. Cum etiam Bulla Cœnæ eos merito reddere debeat de sui transgressione suspectos; casum enim hunc in eâ contentum probat prætextu privilegij Apostolici. Et quia non solum auocatio à iudicibus Apostolicis, sed etiam ab alijs sub censurâ præfata prohibetur, iuxta satis congruam & maximè accommodatam litteræ intelligentiam, verbis illis: Ab Auditoribus, & Commissarijs nostris, alijsque iudicibus Ecclesiasticis, auocant. Quod tenent P. Filliucius, & Mag. Soula, quos adducit, & sequitur Diana Parte 2. tract. 1. Resol. 55. & ita videtur intellexisse Dom. Solorzanus Lib. 3. cap. 1. num. 61. & in Politicâ, pag. 503. s. vltimo; vbi ait non esse cur vereantur, qui dictam iurisdictionem exercent, censuram talem, quia per illam non prohibentur casus in iure permitti, ut aduertunt Natarrus, Barbosa, & Martha; & talem esse præsentem. Additque num. sequenti, cum talis opinio sit probabilis, eam securè posse in praxim deduci sine censuræ formidine, iuxta communem doctrinam Theologorum, ex quibus nonnullos adducit cum Iurisco- nultis quibusdam. Quod quidem sapienter dictum. Sed nihilominus, cum idem cap. 12. num. 62. & 63. & in Politicâ, pag. 600. s. Pero sin embargo, & seqq. vbi non iam Fiscalem agebat, sed iuxta propriam locutus sententiam & conscientiam, opinionem contrariam communioem, & securiorem asserat, & iuxta eam à Rege nostro, ut num. 64. diximus, iudicatum; res, ut præmissum à nobis, valdè scrupulosa relinquitur, & altâ reponendum mente, quod iam ex Innocentio proposuimus. num. 65. dum ait: Cum in talibus non sit extendenda licentia, sed potius restringenda. De quo hæc satis.

quantissimâ comprobatum, privilegioque Pontificio inniti affirmat Illustrissimus Zapata Parte 1. cap. 6. num. 9. ex Bañes 2.2. quæst. 67. articul. 1. dub. 2. Conclus. 6. Quia verò pro Indijs nonnulla occurrunt consideratione dignissima, non potuit difficultas præsens conuenienter omitti.

68 Videtur certa resolutio ex Regij eiusdem Consilij ordinationibus cap. 4. & ex Regio Rescripto An. 1581. & in Politicâ pag. 767. Neque in illo videtur esse specialis difficultas, si Consilio Castellæ supremo, & Regij Cancellarij licet: & ut liceat, eadem fundamenta succurrunt: sic enim & leges Hispanicæ ac Indicæ disponunt, & praxi est fre-

quentissimâ comprobatum, privilegioque Pontificio inniti affirmat Illustrissimus Zapata Parte 1. cap. 6. num. 9. ex Bañes 2.2. quæst. 67. articul. 1. dub. 2. Conclus. 6. Quia verò pro Indijs nonnulla occurrunt consideratione dignissima, non potuit difficultas præsens conuenienter omitti.

69 In quâ, non obstantibus legibus & præxi prædictis, omnino esse illicitum talem recursum, nec posse sic recurrentes audiri, & multò minùs Ecclesiasticos iudices ad desistendum compelli, Notarijs Ecclesiasticis ad informandum aduocatis, tenent quamplures, quos adducit Diana Parte 1. tr. 2. Resol. 5. & 6. & 14. & Parte 2. tr. 1. Resol. 55. & Parte 5. tract. 1. Resol. 13. & P. Fragosus Tomo 2. disp. 3. §. 13. n. 258. vtr. Porro, & sequenti, vbi id videtur sentire, licet postea oppositum tueatur. Apud eosdem etiam plures occurrunt oppositum sentientes: pro quo & doctam allegationem vulgavit Doctor D. Petrus de Menesses occasione cuiusdam controuersie inter Vicarium generalem Limanæ huius Metropolis, & Prouincialem sanctæ Fraternitatis, qui homicidam quemdam per sententiam suspensio addixit, Ecclesiam, ex quâ extractus fuerat, compellantem. Erat enim tunc ille Fiscalis Regius, qui & postea in eadem Cancellarij Auditor; vir sanè doctus & timorata conscientia, pro quo possum plenissimum testimonium exhibere. Quod & admittit Thomas Hurtadus Tomo 1. tractat. 3. n. 129. & sequenti. ex voluntate præsumptâ Pontificis; quia non est alia via recurrenti ad ipsum; alias negat. Alii hærent, ut Natarrus in Manuali Cap. 27. vbi ait se hoc Pontificis determinationi remittere; quod & facit P. Suarez Tomo 5. in 3. p. disputat. 21. num. 76. Pro quo ego nonnulla subiiciam, quæ non video ab alijs obseruata.

Illicitum qui con- sultant.

Doctor D. Petrus de Menesses cum laudâ adductus.

Qui hærent, nihil decernunt.

Pro sustinenda præbilibet praxi, est imprimis in Bulla Cœna non reprobanda.

CAPVT VII.

An Regium Indiarum Consilium possit sine graui conscientie grauiamine causas Ecclesiasticæ fori, & præsertim ad personas Ecclesiasticas pertinentes per viam violentiæ ad se delatas, adhibita cognitione tractare.

S. I.

Diuersa sententia, & quadam specialia pro affirmatiua.

Licitum recursum per viam violentiæ qua videtur ostendere.

68 Videtur certa resolutio ex Regij eiusdem Consilij ordinationibus cap. 4. & ex Regio Rescripto An. 1581. & in Politicâ pag. 767. Neque in illo videtur esse specialis difficultas, si Consilio Castellæ supremo, & Regij Cancellarij licet: & ut liceat, eadem fundamenta succurrunt: sic enim & leges Hispanicæ ac Indicæ disponunt, & praxi est fre-

70 Et ut praxis Hispanorum tribunalium sustineri possit, uti probabiliter sententiæ innixa, id imprimis occurrit, Pontificem non videri damnare velle recursum per viam violentiæ generali prohibitione: nam in Bullâ Cœnæ Excommunicatiõne 14. in qua illa habentur verba, Etiam prætextu violentiæ, probabile est non agi de omni auocatione causarum, sed tantum cum à Commissarijs Pontificis auocantur: quod tenent Alterius, Vgolius, & Bonacina apud Dianam Parte 2. tractat. 1. Resoluit. 55. & P. Fragosus cum Menochio Tomo 2. pag. 208. s. secundo excusatur. In Excommunicatione autem 15. vbi directè agitur contra eos, qui Ecclesiasticas personas ad laica tribunaia trahunt, talia verba non habentur; vbi tamen illa magis necessaria videbantur, si iuxta mentem Pontificis, etiam recursum prætextu violentiæ, Ecclesiasticæ est libertati contrarij: quia hic frequentius occurrit, & ita illi debuit manifestum remedium adhiberi. Videtur ergo Pontifex noluisse practicum ad eodè stylium apud Christianas penitus condemnare Respublicas, sed illum ut probabilem iuxta earum mentem tollerare.

71 Licet enim verissimum sit tolerantiam Pontificis non esse approbationem: Cum multa per patientiam tolerantur, quæ si deducta fuerint in iudicium, exigente iustitiâ non debeant approbari. Cap. Cum iam dudum, de Præbendis. Pro quo & in Cap. Denique 4. dist. sic ex Diuo Gregorio habetur: Ideo cum venia suo ingenio relinquendi sunt; ne

Pontificis tolerantia vim approbationis generat aliter non habet.



forte peiores existant, si a tali consuetudine prohibeantur. Ut enim ait Salomon Proverb. 30. vers. 33. Qui multum emungit, elicit sanguinem. Sic ille. Quod bene cum Theologis aliis obseruat P. Suarez lib. 7. de Legibus cap. 13. num. 12. Potest tamen esse tolerantia bonæ fidei fauens, quæ valde diuersa est ab eâ, quâ malum tolerat, ab iis, qui illud perpetrant, minime bonum iudicatum: dum Pontifex sciens consuetudinem aliquam esse contra ipsius mentem, sed verosimilibus rationibus communitam, eam tolerat, nolens suæ mentis apertione maioribus incommodis occasionem ministrare; aut eos, qui consuetudinem talem amplectuntur, in apertum damnationis discrimen adducere. Et quamuis de Hispanorum fide ac obedientiâ multum sibi possit, & merito polliceri, & de aliis forte: non tamen de omnibus; nec videtur expediens virgere quosdam, aliis suo arbitrio gubernandis.

Aliqua tamen est no tantum permittitur praxim, ut in presentis.

Favere illi ex Nuntij procedendi modo apparet.

Illius praxim inuicem mentem Pontificis.

Stylus sacre Rotæ contrarij probat, dicit a censurâ ob recursu incurrat, ligant, prius iubet absolui.

72. Deinde, Pontifex non solum videtur praxim tolerare prædictam, sed eisdem suffragari. Nuntius enim in Cûria existens, si vim aliquam suâ sententiâ videatur inferre, & pro eâ ad supremum Senatuum litigans recurrat, siue ad Indiarum, cum res agitur ad Indias pertinens, & Senatûs Notarium ad faciendam relationem vocari statuit; omnino annuit, nec tantum merè negatiuè se habet in causâ non procedens, donec Consilij decretum accedat. Vnde cum Anno 1636. Consilium Indicum Notarium ad faciendam relationem vocari statuisset, pro quadâ causâ ad Indias spectante, de quâ in Nuntij Audientia tractabatur: id & Nuntius, & Notarius vtrique nouam recusarunt; quia videlicet hoc ad supremum tantum Consilium pertinere contendebant. Videat qui voluerit Dom. Solorzani supra sic testantem. Est ergo iuxta Nuntij praxim, & non tantum tolerantiam, iudicio tali per viam violentiæ submitti. Quod certè si contra Ecclesiasticam immunitatem esset, fieri tutâ conscientia non posset; ab eo præsertim, qui illius defensionem debet ante alios, vti immediatus Pontificis organum, laram testam conseruare. Ex quo etiam apparet Pontificem, vt dixi, praxim huiusmodi suffragari: quandoquidem ipsius Nuntius nihil tale ageret, nisi eidem sciret esse probatum, cuius & sequitur instructionem: cum multa minoris momenti sint, & causam publicam non ita concernentia, inter illa, quæ in ipsâ continentur.

S. II.

Pro negatiua que videantur virgere.

73. IN contrarium verò id stat, quod est ex stylo sacre Rotæ notissimum, ad quam cum aliqui pro iustitiâ obtentione recurrunt, si ad Curiam habuere recursum, minime, nisi prius absolutionem excommunicationis eâ de causâ incurrâ obtinuerint, à sacris iudicibus audiuntur. Est ergo illis mens Pontificis omnino perspecta, cuius auctoritate decernunt. Et certè, si crederent sententiam illos secutos probabilem, eorum stylus valde esset iniurius, dum reos grauissimi peccati faciunt eos, qui de suâ salute solliciti credi debuissent. Cum ergo absolui faciant, signum

est manifestum ita de laicali recurso sentire, vt nullus excusationi locus esse videatur; sic Pontifex legis auctore iudicante. Pro quo in speciali est notanda decisio An. 1647. Innocentio X. Pontifice, quam adducit Diana Parte 9. sic enim in eâ dicitur: Domini dixerunt, Carolo obtentam absolutionem ab excommunicatione ob recursum ad iudices laicos obtentam, non suffragari. Quamuis enim eisdem recursibus, & omnibus quibuscumque iuribus inde forsitan acquisitis, in amplissima forma renuntiauerit: quia tamen non obstante sequestro de mandato Rota apposto super Beneficio ieter. ipsum & Sanctium controuerso, adhuc de facto se conseruat in possessione eiusdem Beneficij, & oblationes Christi fidelium recipit, vt probatur ex testibus in Summario Sanctij num. 8. & sic apparet de clara & euidenti violatione sequestri, iuxta nota in Clement. Ad compendendas, de sequestri possess. & fructib. minime satisfecit conditioni in secularitate absoluenti à Sanctissimo apposte. per hanc suam tantum verbalem renuntiationem, vt in proximis terminis dixit Rota inter impressas, &c. Ex quibus habemus quanto cum rigore res ista in supremo Tribunali tractetur; & quam exacta executio requiratur eorum, quæ pro absolutione obtinendâ ab eodem disponuntur; accedente Pontificis non solum notitiâ, sed expressâ dispositione, dum Breuia pro exequenda sententia ad partium instantiam expediuntur. Non ergo de expressâ Pontificis mente dubitari potest, & obligandi animo; nec quidquam ex parte se volentium consuetudine dictâ tueri, quod momenti sit alicuius, valet allegari. Accedunt Decisiones duæ apud eundem Parte 5. in causâ Oscanenſis Canonici, & præsertim posterior, in quâ punctum hoc ex professo discussum.

Egreuiam prædicta veritatis exemplum sub Innocentio X.

Nova ratio ex prohibitione librorum in fauorem recursus.

74. Pro quo etiam facit libros quosdam ab Hispanis conscriptos Auctoribus, in quibus recursus huiusmodi, vt liciti & legitimi defenduntur, ab Apostolica Sede prohibitos: quæ tamen prohibitio in Hispania non est executioni mandata; immò executioni occursum Regiis monitoriis. Constat ergo de Pontificis mente, quæ ad notabilem adeo demonstrationem procedit. Menti autem illius expressè quomodo potest saluâ conscientia resisti?

75. Dici potest ius Regium circa hoc non in priuilegio aliquo; sed in ipso naturali iure fundari, suppositâ Regiâ dignitate; incumbit enim illi innocentes defendere, & omnem subditis factâ iniuriam propulsare; quicumque sit ille, qui fecerit, aut patiat; quod in Ecclesiasticis videtur potiore locum habere, qui ob digniorem statum digniores sunt vt Regio brachio protegantur. Pro quo est lex. 50. Titul. 6. Parte 1: in qua sic Rex Alfonso cognomento Sapiens: Franquezas en los Clerigos mas que otros omes, tambien en las personas, como en sus cosas. Esto les dieron los Emperadores, è los Reyes, per honra y reuerencia de la Santa Iglesia. Et quidem si Ecclesiasticus iudex aliquem pugnis aut fustibus cæderet, à quocumque posset sic iniuriatus defendi: ergo & quando per sententiam iniuria infertur ab ipso, licita erit etiam defensio, auctoritate præsertim Regiâ, ad quam hoc præcipue spectat, vt citatus Rex his testatur verbis: L. 13. Titul. 13. Part. 2. El Rey està puesto para mantener Justicia y verdad, è darà cada vno suderecho,

Recursum in naturali iure fundari, quorumdam resposio.

Alfonſi Regis verba circa prærogatiuas Clericorû.

seguro

Reges ad segun sumerimiento, es para defender à sus vasallos, que no reciban mal, ni fuerza & l. 26. Tit. 14. Partida eadem: Los Reyes son cabeza, alma vida, y mantenimiento de sus vasallos, y se debe doler del mal, que reciben, como de sus miembros, y ser sumero, y amparo.

76. Iam probatur Consequentia: nam sententia iniusta non est sententia, neque iniustum iudicium est iudicium, quæ sunt verba Diui Thomæ 2. 2. quest. 70. artic. 4. ad 2. vbi sic ait: Ad secundum dicendum, quod iniustum iudicium non est iudicium: & idè ex vi iudicij falsum testimonium in iniusto iudicio prolatum ad iniustitiam impediendam non habet rationem mortalitatis peccatis sed solum ex iuramento violato. Sic ille. Quod eleganter prosequitur Robertus Maranta Disput. 1. quæ extat post Tractatum de ordine iudiciorum. num. 16. vbi ita scribit: Quilibet iudex dicitur minister Dei in terris, Cap. Non solum, & Cap. Qui maior 24. Quest. 5. eiusque iudicium videtur prodire de vultu Dei. Cap. Vt nostrum, in principio, de appellacionib. Cap. 1. in principio Extra. Vt Ecclesiast. Benef. De vultu autem Dei non potest egredi nisi iustitia & veritas: cum Deus ipse dicat: Ego sum via, veritas, & vita, vt habetur Ioan. Cap. 14. Ergo quamdiu iudex sequitur veritatem & iustitiam, dicitur minister Dei: sed si facit iniustitiam, non Dei, sed diaboli minister efficitur, nec tunc dicitur iudex. Cap. In sum 23. Quest. 2. Glossa in Cap. Cum eterni, in verb. Iudex, de re iudicata in 6. & dicit Casiodorus Lib. 3. Epist. 28. Tam diu iudex dicitur, quamdiu iustus putatur. Sic ille à Farinacio adductus Tomo 1. Praxim criminalis num. 89. Iuxta hæc ergo ius, quod Reges ad violentias propulsandas competere sibi contendunt, consequens quid est ad ipsam Regiam dignitatem; quâ stante nequit à quacumque alia humana potestate tolli, & ita contra Pontificiam propugnatur. Et eandem rationem bene etiam prosequitur P. Palau Parte 6. Disput. 3. Puncto 14. num. 8. 5. Notanter.

Robertus Maranta.

Nec Dei, sed diaboli minister.

Iuris prædicti fundamentum improbat.

Pontificis generalis sollicitudo.

Cap. Frequens.

77. Sed verò quamuis hoc sit eleganter dictum, ex eo non videtur laicorum tribunalium causa promoueri. Nam si virgens esset, ex eâ fieret, caussarum Clericalium cognitionem & quamcumque sacram, in quâ de grauamine aliquo litigantis agitur, ad tribunalia debere laicalia trahi: sic enim iniustus iudicij plenius obuiaretur. Causæ etiam criminales omnes, ne delicta maneant impunita. Item, Is, qui sententiâ se iniquâ grauatum putat, sine appellatione posset statim ad dicta recurrere tribunalia. Præterea. Sicut Regi proprium est defendere subditos, ita & Pontifici Christianos, & eos præsertim, qui in sacro sunt ordine constituti. Pro quo Innocentius Quartus in Cap. Frequens, de restitutione spoliatorum in 6. ita loquitur: Nos qui voluntarios labores appetimus, vt quietem alius præparemus: finem libitibus cupientes imponi, & calumnia materiam amputare &c. Vbi Pontifex verba ex iure ciuili desumpsit. Autent. Vt diuina infusio subscri. in gl. Quæstoris, in principio Collat. 9. vbi Imperator loquitur; vt scilicet non minore in se curam ad remouendas Christiani gregis iniurias Pontifex indicaret. Et quemadmodum Rex non omnia per se gerit & iudicat, sed pro eo ministros destinat congruentes, ita & Pontifex. Quod si aut ignorantia aut passione ducti deuiare à iustitiâ regu-

lâ possunt: tale incommodum in suis nequit Rex quantumlibet prouidus declinare. Non ergo Ecclesiasticorum errata certam habent in laicorum iudicio curatiõnem. Cum etiam sententia inferiorum iudicum appellationis remedium habeat, immeritò creditur, quòd si prior iniqua est, alia etiam eodem sit vitio prouuntianda. Quòd si grauamen aliquod ex priori accedat, cautum quomodo possit à superiore iudice reparari. Cap. Pastoralis, de appellat. Verbis illis: Si appellans fuerit grauatus iniuste, grauamen huiusmodi per Superiorem poterit emendari. Non ergo vlla momenti alicuius apparet ratio, ob quam possit iurisdictioni Ecclesiastica dictis recursibus implicari.

78. Vterius. Cum Pontifex recursum prohibendo seuerissimam penam imponit, aut se putat certâ ad hoc iurisdictione præditum, aut non? Si Primum: ergo certa est penitus iurisdictionis, & consequenter ab eo excommunicati cum effectu in vtroque foro ligantur: & ita non est vera ea doctrina, quam laici iudices amplectuntur. Illatio est certa. Nam Pontifex errare nequit in his, quæ ab bonos mores spectant, sicut neque in rebus fidei, vt est constantissima Theologorum sententia, quidquid sit de qualitate censure, quam oppositum meretur. Pro quo videnda quæ diximus Titulo præced. Cap. 4. §. 4. Secundum autem dici non potest: quia dispositio Pontificia redderetur inutilis, cum sciat sic disponens, oppositum esse probabile, & ita securâ posse conscientia prædicari. Item. Pœna illa grauissima excommunicationis Sedi Apostolicæ referuatæ, non esset iustitiæ & pietati conformis, cum non caderet supra delictum graue manifestè tale: nec decens esset, vt Pontifex ita se infensum Principibus Christianis exhiberet, qui iustitiæ zelo viam non apertè damnabilem in Reipublicæ commodum elegerint.

Validum dilemma ex Pontificia excommunicatione.

S. III.

Resolutio difficultatis, & quedam pro Indiis.

79. Dico primò. Negari nequit quin pro parte negante, sint virgentissima fundamenta, vt non immeritò Cardinalis Toletus in Summa, circa explicationem casuum Bullæ Cœnæ, Excommunicat. 11. in simili locutus exclamet: Vnam Principes Christiani aperiant oculos ad videndum, & aures ad audiendum. Non enim iam excusationem, vel subterfugium habere possunt, Sic ille.

Affertio 1. negantem partem videri indubitabilem.

80. Dico secundò. Si iuxta affirmatiuam sententiam procedendum sit ob adductas coniecturas, grauium Scriptorum auctoritatem, quorum satis prolixum catalogum adducit Rota citata num. 73. & praxim temporis diuturnitate fundatam; id parè, moderatè, & cum timore semper Christiani pectoris digno peragendum. Videnda quæ diximus num. 67. Scimus iudices aliquos ob timorem dictum numquam directè respondisse: & alios morti proximis ad horum memoriam inconfolabiliter gemuisse.

Affertio 2. Affirmatiua vsus parè reitendendus.

81. Dico tertio. Senatus Regius Indiarum tenetur maximâ diligentia prouidere ne in Cancellariis sibi subiectis graues circa hoc committantur

Affertio 3. Senatus Regium tantur